



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXXI. De officio Indicis ordinarij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T U L U S XXXI.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

SECTIO I.

*De Jurisdictione in genere
& de jurisdictione seu potestate
iudicis ordinarii universim.*

§. I.

*Quid & quotuplex sit Jurisdictio
in genere?*

Jurisdictio in genere rectè describitur quòd sit potestas alicujus publicam auctoritatem & eminentiam habentis circa aliorum regimen seu gubernationem. Dicitur publicam auctoritatem habentis, ut distinguatur à domesticà sive œconomica potestate patris in filium, mariti in uxorem, Domini in servum, quæ potestates privatæ potius sunt. Variè autem dividitur jurisdictio; in Ecclesiasticam, quæ causas spirituales, & Ecclesiasticas complectitur, ac politicam & temporalem, quæ circa causas sæculares, & profanas versatur. Dein alia jurisdictio est fori externi, quæ in foro externo exercetur, & alia est fori interni, quæ exercetur in foro interno seu conscientia: utraque subdividitur in ordinariam & delegatam. Hæc Tit. 29. jam explicata est illa hujus Tituli materia est; fori externi jurisdictio subdividitur in voluntariam, & contentiosam jurisdictionem, illa non nisi inter volentes sine strepitu judicialis

processus exercetur, uti est absolvere à censuris, dispensare in votis, & juramentis beneficia conferre, legitimare, manumittere, delegare, quæ quidem extra proprium territorium etiam exerceri potest, ad vitanda tamen multa incommoda consultius videtur, voluntariæ hujus jurisdictionis actus privatim & non publice extra territorium proprium exerceri. Contentiosa jurisdictio est, quæ exercetur etiam in invitos trahendo v.g. eos ad iudicium, & causas judicialiter contra eos examinando, ac decidendo, quæ nunquam extra proprium territorium, nisi cum consensu domini illius territorii exerceri potest, cum extra territorium iudicanti impunè non pareatur c. 2. de consuet. in 6. solet autem jurisdictio fori externi tam Ecclesiastica quàm Civilis subdividi in imperium, & simplicem jurisdictionem. Simplex jurisdictio dicitur, quæ mercenario iudicis officio exercetur, & nullum imperium coercendi, puniendi includit, ac totum juris actioni alligatum est, ac deservit. Imperiū verò dicitur, quod nobili officio iudicis exercetur, neque alligatum est actioni merè civili, sed ad pœnas etiam, & coactiones varias descendendo, publico bono, aut privatæ etiam utilitati deservit. Hoc imperium duplex est, mixtum aliud; aliud merum, utriusq; imperii varii sunt gradus meri imperij primus est, qui etiam summū imperium dicitur, potestas condendi leges uni-

verfales concilia congregandi univerfalia aut committia, bellum indicendi, cognofcendi caufas, remoto appellationis remedio, tributa exigendi, cudendi moneat, & alia fimilia, quæ regalia dicuntur & fuis tantum Principibus in fignam fupremæ majestatis conveniunt, vel inferioribus etiam Ducibus ab imperio in feudum conceduntur. Secundus gradus est, potestas facinerosos puniendi, etiam pœnâ mortis, aut mutilationis: quod alii dicunt jus gladij, potestas inferendi mortem civilem per maximam capitis diminutionem, jus civitatis Romanæ & libertatem adimendo, potestas degradandi Clericos excommunicandi proprio motu &c. Tertius gradus est, qui magnum etiam imperium dicitur, potestas, per quam media capitis diminutio infertur, sive civitatis jure quis exiit, retentâ tamen libertate, potestas condemnandi trimes &c. Quartus gradus meri, sed parvi imperii dicitur, potestas relegandi, subjiciendi torturæ, verberand &c. Quintus gradus minoris imperii dicitur, potestas leviter coercendi in corpore. Et sextus denique gradus est, qui minimum imperium dicitur potestas imponendi multâ modicam pecuniariam, qui duo ultimi gradus cuius judici ordinario competunt, ne proflus sit in efficax illius jurisdictionis, si nullam coercionem adhibere possit. Mixti imperij dantur etiam varii gradus, de quibus videndi Civilistæ.

§. II.

De Judice ordinario in genere, etiamque jurisdictione ac potestate.

Iudex ordinarius dicitur, quia ex proprio munere, adedque suo jure juris-

ditionem exercet, non quidem quasi cuius judici ordinario plena potestas, sive plenitudo potestatis competat, quæ in Principibus summis residere tantum dicitur, sed quod ex vi suæ Dignitatis, officii, aut magistratus jurisdictionem convenientem exerceat: acquiritur autem potestas ordinaria, vel à Principe, aut republica superiorem non recognoscente, sive ex privilegio Principis talis, aut republicæ neque enim inferior magistratus iudices ordinarios constituere potest, cum hæc potestas inter regalia numeretur, nisi inferioribus Principibus hoc etiam regale à supremo Principe concessum sit in feudum, ut habent germani Principes ab Imperatore) vel à lege seu Canone (quales sunt illi, qui ad præscriptum legis seu Canonis, vel ab homine publicæ auctoritatem habente, vel ab Universitate aliqua, aut Collegio constituuntur) vel denique consuetudine legitime præscriptâ (consuetudo enim sicuti jurisdictionem tollere, restringere & imminuere potest, ita potest etiam jurisdictionem dare extendere, & ampliare *c. cum contingat 13. de foro competente*) quamvis meri, aut mixti imperij sint; quamvis Principi in signum prærogativæ reservata sint, modò sint talia, quæ aliis etiam interdum demandantur, & capacitas possidendi sit penes præsentem, ex cujus capacitatis defectu nemo præscribere potest jurisdictionem Ecclesiasticam fori externi, nisi Clericus sit, & in officio aliquo publico Ecclesiastico constitutus. Possunt autem esse iudices ordinarii omnes, qui nec naturâ, nec jure prohibentur: naturâ autem prohibentur iudices ordinarii esse surdi, muti perpetuò amentes, impuberes,

Y z

& qui vel animi vel corporis tali vitio laborant, ut munus iudicandi obire nequeant. Lege verò sive jure prohibentur minores 25. Annis, qui enim nondum est aptus ad propria administranda, multò minus aptus est ad rempublicam administrandam) nisi à Principe datus sit, & 18. annis major, vel nisi in eum, qui 20. annis minor est, consenserint partes; qui senatu moti sunt propter turpitudinem; qui ob infamiam, aut ex alio capite à legitimis actibus repelluntur, ut servi; qui ex recepta consuetudine prohibentur esse iudices, ut fœminæ, nisi illustres illæ sint, Comitissæ, Principissæ, Regina; qui notoriè sunt excommunicati, qui mundo mortui habeantur, ut Religiosi, Monachi &c. expirat autem jurisdictio ordinarii per mortem illius per renunciationem illius, per depositionem ab officio & per ejusdem translationem, non autem per mortem ejus, qui hanc ordinariam jurisdictionem dedit, quamvis data fuisset ad beneplacitum Principis tantùm, quamvis enim aliæ gratiæ ad beneplacitum concedentis concessæ, per mortem concedentis expirent, cum cesset per mortem concedentis, beneplacitum illius, non tamen jurisdictio ordinaria, ob favorem scilicet, & utilitatem publicam.

SECTIO II.

De Archiepiscopo seu Metropolitanò, ejusque jurisdictione, & potestate.

S. I.

De jurisdictione, & potestate Archiepiscopi in Episcopos suffraganeos sibi subiectos.

Archiepiscopus dicitur ille, qui inter Coepiscopos non exemptos suæ Provinciæ, principem locum, & jurisdictionem obtinet, quem alii nonnunquam Metropolitanum dicunt & tanquam Ordinarius, ac immediatus suæ provinciæ Episcoporum superior (qui illius respectu superior etiam suffraganei dicuntur) hic Episcopo præcipere potest, quæ ad officium spectant, eosque negligentes ad officium suum faciendum etiam per censuras compellere. *c. pastoralis 11. h. t.* non quidem per Vicarium suum generalem, cui ob reverentiam officii, & Dignitatis Episcopalis nulla censura ferendi contra suffraganeos Episcopi conceditur facultas *c. 1. h. t. in 6.* sed per seipsum; & quamvis de jure antiquo, etiam in causis criminalibus majoribus, quæ privationem seu depositionem merentur, potuerit saltem inquirere, & cognoscere contra Episcopum suffraganeum, hodie tamen in talibus causis juxta *Trid. sess. 24. c. p. de refor.* non solum condemnatio, sed etiam cognitio summo Pontifici reservata est, ubi statuitur, etiam ut causæ criminales minores Episcoporum in Concilio tantùm Provinciali, vel à deputatis in Concilio Provinciali cognoscantur & terminentur attendens tamen hac in re consuetudo est, præsertim in istis Provinciis, ubi rata sunt Concilia Provincialia. Potest tamen etiam Archiepiscopus statuta Provincialia facere, cum consilio tamen, & con-

& consensu Coepiscoporum Provincialium in Synodo v. g. Provinciali ad hunc etiam finem congregata, ubi tanquam præcipuum membrum principem locum habet Archiepiscopus, non quidem, tanquam jurisdictionem exercens in Coepiscopos suæ Provinciæ, sed major Dignitate, ipsius tamen Concilii Provincialis jurisdictioni subiectus, quin ad illius etiam potestatem olim pertinebat, confirmare Episcopos suffraganeos, electos, & assistentibus aliis duobus Episcopis eos consecrare, hodierna tamen nostræ Germaniæ consuetudo pro consecratione non ad Archiepiscopum recurrit, & confirmationem electorum in Germania Episcoporum, à Pontifice volunt Germaniæ concordata petendam,

S. II.

De jurisdictione, & potestate Archiepiscopi in subditos Episcoporum suffraganeorum.

Nullam jurisdictionem habere, & exercere posse Archiepiscopum in subditos suorum suffraganeorum Coepiscoporum, nisi in casibus jure expressis, clare habetur in *Canone 7. & 8 causa 9. 9. 3. c. pastoralis 11. h. t. c. 1. eodem in 6. & c. 1. de sup. neg. Pral. in 6.* sunt autem casus à jure expressi, in quibus jurisdictio aliqua conceditur à jure tam antiquo, quam novo, Archiepiscopo in subditos suorum suffraganeorum; primus & præcipuus est casus appellationis, quando scilicet per appellationem à sententia Episcopi ad Archiepiscopum causam suam subditus Episcopi suffraganei defert, juxta citatum *Can. 8. junct. gloss. v. provocaverint, & juxta c. 1. de off. leg. sive in causa spiritali, sive temporali, civili, aut criminali fuerit ap-*

pellatum (nisi specialia privilegia, aut consuetudo vel jus particulare etiam hanc appellationem impediunt) ita ut in casu talium appellationum factarum suos etiam Delegatos in Diocesisibus suorum suffraganeorum constituere possit, qui causam ad se per appellationem delatam decidant contradicentes etiam cohibendo &c, ut dicitur in *c. Romana. 1. h. t. in 6.* quamvis subditi Archiepiscopi non sint, invitus tamen illos, si subditi non sint, cogere non potest ad acceptandam delegationem, cum nullam adhuc in subditos talium Coepiscoporum habeat potestatem *c. pastoralis 11. h. t.* Secundus casus est, in quo Archiepiscopus in subditos suorum Coepiscoporum suffraganeorum, habet jurisdictionem, quando visitat Provinciam, quo tempore procuraciones debitas ratione visitatorum Ecclesiarum à subditis Coepiscoporum suorum suffraganeorum exigere potest (*c. cum Apostolus 6. junct. gloss. V. Archiepiscopi. c. scripta 14. c. super eo 22. c. cum nuper 25. de censibus. &c.* & in foro etiam conscientie absolvere suorum Suffraganeorum penitentes, uti habetur in *c. ult. de censibus in 6.* non autem etiam tempore visitationis dispensare cum talibus subditis potest in votis, juramentis, aut aliis irregularitatibus, cum hæc potestas nec per se conjuncta sit cum potestate absolvendi, nec in jure hoc visitanti Archiepiscopo concedatur. Tertius casus est, si talis Provincie bonum hoc exigit in casu scilicet quò tollenda est prava consuetudo, quæ per Provinciam vigeat, prout colligitur ex *c. ex frequentibus de instit.* Quartus casus est, si cessent Canonici Cathedralis Ecclesie sine rationabili causa à divinis, maximè,

maximè, si hoc agant in contemptum Episcopi, in quo casu causam Capitulum inter, & Episcopum examinare potest Archiepiscopus (sicut ut Delegatus Sedis Apostolicæ) & metu pœnæ urgere reos capitulares, ut habetur in *c. irrefragabili 13. h. t.* Quintus casus est, si causa criminalis agitur in Episcopum, & Clericum ejus subditum; quamvis enim ad Consilium Provinciale hic casus ex jure Trid. pertineret, quia tamen hæc valde rara sunt, & Papa in omni casu adiri non possit, non videtur melior in hac causa iudex quam Archiepiscopus. Sextus denique casus est secundum aliquos, si Episcopus sit negligens in exercenda sua jurisdictione, & officio; probabilius tamen est, quod in hoc casu negligentem quidem Episcopum Archiepiscopus monere, & compellere possit ad præstandum officium, in hoc tamen casu nihil immediatè circa ipsos subditos possit, nisi ex supra allatis casibus aliquid interveniat. Videatur glossa in *c. pastoralis. 17. exceptis*, ubi plures casus referuntur devolutæ ad Archiepiscopum jurisdictionis.

§. III.

Aliæ nonnullæ quæstiones circa jurisdictionem, & potestatem Archiepiscopi proponuntur, & resolvuntur.

Quæritur, an excommunicatum ab Episcopo suffraganeo possit Archiepiscopus absolvere? Respondetur posse, si ab Episcopo ad Archiepiscopum appellatum sit. *c. per inas 40. de sent. excom. & c. venerabilis 7. §. porro eodem in 6.* (cùm jurisdictionem per appellationem, acquisivit, ita tamen, ut modam observet

præscriptum in *c. ad reprimendum 8. h. t.* ut prius scilicet ad Episcopum, qui excommunicat, remittat (nisi constiterit injustè fuisse excommunicatum, aut nolit Episcopus, eum quem excommunicavit, absolvere, aut in mora sit periculum) & cautionem saltem juratoriam prius recipiat, quod velit satisfacere Episcopo, qui excommunicavit, in eo propter quod excommunicatus est & c.

Quæritur 2. utrum ab Episcopo, qui mandatum à Papa accepit, de corrigendis suis subditis, ad Archiepiscopum, non obstante hoc mandato, appellari possit? Respondetur affirmativè, ut constat ex *c. licet 12. h. t.* quia in casu tali non tam delegatus Papæ constitutus fuit Episcopus, ut ad delegantem debuerit fieri appellatio, sed excitata tantùm per mandatum tale fuit jurisdictione illius ordinata, cùm ea tantùm ipsi mandata fuerint, quæ ad ordinariam jurisdictionem pertinent.

Quæritur 3. in quo loco Archiepiscopus exercere possit jurisdictionem suam erga subditos suorum suffraganeorùm. Respondetur de hoc ita statuere Bonifacii VIII. in *c. ut litigantes 5. h. t. in 6.* non debere Archiepiscopum causas subditorum Coepiscoporum suffraganeorum judicare, si ad ipsum appellaverint, nisi in propria sua diocesi, vel in illâ eadem ex qua appellatio fuit petita, nisi aliud consuetudo habeat, ad parcendum scilicet sumptibus litigantium & hinc cum & c. hæc statuta sint, possunt ipsi cedere huic favori, & velle, ut ea etiam alibi, cum consensu tamen ordinarij illius loci decidatur.

SECTIO III.

De Jurisdictione, officio,
& potestate Episcopi

Episcopum (Si confirmatus sit, etiam si nondum sit consecratus) jurisdictionem obtinere in omnes suæ Diœcesis Clericos tam regulares, quàm sæculares, nisi exempti sint, & in causis spiritualibus, ac mixtis, etiam in Laicis, certissimi juris est, & clarè patet ex c. 1. h. t. c. cum Episcopus 7. eodem in 6. c. cum sic 8. & c. ex tenore II. de foro competente: dubitantur tamen de hac jurisdictione aliqua: & hinc fit.

§. I.

An Episcopis potestas sua jurisdictionis competat immediatè ex jure Divino, an verò ex jure humano, & Ecclesiastico?

Verissima sententia est, & tam inter Theologos, quàm Canonistas hodie communis, quòd, quamvis in genere Episcopale munus seu officium, & illius jurisdictionis ordinaria, sit à Christo immediatè instituta, in quantum tamen in particulari huic vel illi competens consideratur in ordine ad hos vel illos subditos, immediatè sit, & conferatur à Romano Pontifice, tanquam Vicario Christi, & Ecclesiæ capite, prout ex pluribus ac variis tam juris textibus, quàm rationibus probari potest, & satis clarè ostendit potestas, quam penes Pontificem esse nemo negat, quâ potest Episcopum suâ jurisdictione privare, ergo tota hæc in specie, & particulari respectu hujus personæ à Pontifice dependet.

§. II.

De duabus legibus, jurisdictionali, & diœcesana, in quibus totum jus, seu officium, & potestas Episcopi consistit.

Deberi multa Episcopis, & posse etiam multa Episcopos vi suæ jurisdictionis ordinariæ, tam ex lege diœcesana, quàm ex lege jurisdictionis, certum est: & quamvis de his satis in specie constet, ex c. conquerente 6. h. t. ubi pluribus enumerantur, quæ sint jura Episcopalia, non tantùm ab Ecclesiis parochialibus suæ diœcesis, sed etiam à Capellis, sive Ecclesiis, quæ monasteriis unitæ sunt, solvenda & exhibenda (nisi Capellæ tales monasteriis incorporatæ etiam ipsæ exemptæ sint) & in fine Capituli illius subjungatur, his jurebus in prædictis Ecclesiis contemptos esse debere Episcopos, nec amplius exigere aliquid (saltem de jure, quidquid sit de consuetudine, juxta quam non omnia jura, quæ in dicto Capitulo enumerantur, hodie in usu sunt) nisi subsidium moderatum, (quod subsidium charitativum appellatur) juxta formam præscriptâ à Latranensi in c. cum Apostolus. de censibus in 6. de his inquam, quamvis satis in specie constet, & de pluribus aliis in sequentibus etiam §. agendum sit, dubitant tamen in genere multi, quænam dicantur ex lege diœcesana deberi, à qua regulariter & ordinariè omnia monasteria exempta habentur (ob favorem religionis, ut varia jura habent) etiam si aliâ jurisdictioni Episcopi subiecta sint, & quænam dicantur ex lege jurisdictionis deberi. Communiter ita dicitur illa regula, ex Gloss. in c. dilectus 18. h. t.

h. t. V. de lege jurisdictionis, quod ea spectent ad legem jurisdictionis, quæ consistunt in dando, seu conferendo, vel in actione judiciali, qualia sunt conferre beneficia, administrare Sacramenta, causas audire, sententiam ferre, delicta punire, excommunicare, &c. quæ verò consistunt in recipiendo, uti est Cathedraliticum, quarta decimarum, & mortuorum, ad legem diæcesanam pertinere: hæc tamen regula pluribus aliis displicet, cum negari non possit, procuraciones, quæ consistunt in recipiendo, etiam à monasteriis actu visitatis deberi, *c. sopita 14. de censibus*, & ad quartam mortuorum obligari etiam de jure Regulares *c. requisitis 15. de testamentis*, ergò vel malè dicitur, ea quæ in recipiendo consistunt, spectare ad legem diæcesanam, vel malè dicitur, monasteria à lege diæcesana esse exempta. Quidquid tamen de hac regula sit, sufficit eis, cui ea non placuerit, dicere, ad legem diæcesanam pertinere ea, quæ alii quidem Episcopo, non tamen monasteria præstare tenentur; alia verò, quæ etiam monasteria non exempta pati debent, ad legem jurisdictionis pertinere.

§. III.

De illis, quæ ad officium Episcopi ex lege jurisdictionis spectant, & in specie de potestate judicandi, inquirendi, puniendi, corrigendi, & reformandi.

AD legem jurisdictionalem Episcopi non tantum pertinet cognitio judicialis omnium causarum, ad forum Ecclesiasticum externum pertinentium, ita ut cumulativè cum quolibet inferiore

Prælato, cui ordinaria fori externi jurisdictionis convenit, concurrat, & præventioni locus detur, ac sit de jure communi, penes actorem, in causis civilibus, coram quo iudice reum convenire velit, sed inquirere etiam, & punire delicta non tantum purè spiritualia, sed etiam quæ mixti fori sunt, non tantum Clericorum, sed etiam Laicorum, ita ut cogere eos possit, incarcerare, ad vitæ terminos condemnare, &c. & ad executionem hujus suæ potestatis armatâ etiam manu, si necessitas urgeat, uti possit, quam propriam sibi potestatis asciscere, aut invocare brachium sæculare, urgendo etiam ad hoc sæcularem magistratum, & si à Laico magistratu, ad puniendam subditorum delicta inquirente, requisitus fuerit, subditos illius contumaces censuris etiam ad obedientiam compellere potest, quæ omnia in diversis juribus hujus Tituli in antiquis, & in sexto habentur, &c. Possunt tamen etiam inferiores ordinarii iudices, contra Episcopum privativè præscribere, vel ea privilegio obtinere jus puniendi, & corrigendi suos subditos, uti habetur in *c. irrefragabilis 19. §. excessus h. t.* ita tamen, ut semper in habitu jus tale permaneat, in actum etiam redigendum, si inferiorum horum iudicum negligentia sit supplenda (nisi exemptio aliud jubeat) sive sæculares, sive regulares illi fuerint, uti habetur *ex c. quanto 7. h. t. & ex citato cap. irrefragabilis*, quam constitutionem in tantum etiam ampliavit Trid. *sess. 6. c. 4. de refor.* ut detur hodie Episcopis facultas visitandi, ac corrigendi, quoties opus videbitur, etiam auctoritate Apostolicâ, Capitula Ecclesiarum Cathedralium, illarumque personas, non obstantibus ex-

emptionibus; & consuetudinibus; & quamvis etiam pœnas pecuniarias imponere possint Episcopi, & alii iudices Ecclesiastici, debent tamen hæc multæ, non Camera Episc. palli, sed causis piis applicari, juxta *Trid. sess. 25. c. 13. de refor.*

§. IV.

De potestate instituendi in beneficiis, & destituendi seu deponendi.

AD legem jurisdictionis Episcopalis etiam pertinet jus instituendi in beneficiis, uti etiam destituendi, ac deponendi (prout sumitur ex citato *c. conquerente*, & ex *c. cum in jure* 12. de *hereticis*) ita tamen, ut institutio late hic sumatur, & non tantum liberam collationem, sed quæcumque etiam confirmationem, & approbationem dicat, destitutio verò dicat quæcumque amotionem ab officio, beneficio, vel ordine, &c. hæc autem beneficiorum cura, ut bene sit illis provisum, adeo propria est Episcoporum, ut in *c. cum vos* 4. *h. t.* concedatur illi œconomum in beneficio constituere, si in præsentando ex legitima ratione moretur Patronus Laicus, aut indignum præsentet, penes quem sit fructus beneficii vacantis percipere, & in utilitatem Ecclesiæ expendere, vel futuro successori reservare: & in *c. Ordinarii* 3. *h. t. in 6.* præcipitur Ordinario inquirere in beneficiatos (num beneficia sua canonicè obtineant) in casu v. g. quo plura beneficia de se incompatibilia obtinent, cum cura animarum in pluribus talibus uni collatis Ecclesiis negligatur; neque tamen conceditur Episcopo facultas accipiendi redditus Ecclesiarum, vel

Psiching. Compend.

Dignitatum vacantium, ad suam collationem aut institutionem pertinentium, qui vel in utilitatem talium Ecclesiarum concedendi sunt, vel successorii reservandi juxta *c. final. h. t. in 6.* nisi consuetudo legitima, aut speciale privilegium aliud obtineat,

§. V.

De potestate inferendi censuras Ecclesiasticas, & ab eis absolvendi.

LEX Jurisdictionis Episcopalis etiam continet potestatem inferendi censuras (excommunicationis scilicet, suspensionis, & interdicti) juxta citatum *c. conquerente* (cum Episcopo negari non possit potestas ordinario remedio contumaces contra jura Episcopalia, & Ecclesiam coercendi) & potestatem ab illis absolvendi, quamvis ab aliis Prælatibus, ordinariam jurisdictionem habentibus, se inferioribus, & sibi subiectis, censurâ affecti sint, si tamen tales censurâ affecti, subiecti etiam sint tali Episcopo. & observetur *c. cum ab Ecclesiarum* 9. *h. t.* (nisi Pontifici expressè reservatae sint censuræ tales, & nulla circa illas concessa Episcopis potestas) imò potestatem etiam habet, lapsos in hæresin, post hujus abjuratorem, in foro externo absolvendi ab excommunicatione Pontifici reservata (præsertim in nostra Germania, ubi alii inquisitores fidei ad hoc designati non habentur) ita ut talem à censura excommunicationis absolutum, postmodum in foro interno quilibet Sacerdos approbatus ab hæresis peccato absolvere possit: quin etiam, si criminale hæresis non sit delatum ad forum externum judiciale Episcopi; aut illius

Z. Vica-

Vicarii, sed statim ad forum pœnitentiæ, possunt Episcopi Germaniæ non solum ab hæresi occulta (prout concedit illis Trid. sess. 24. c. 6. de refor.) sed etiam à notoria in foro conscientiæ absolvere, (dummodo absolvendus non sit hæresiarcha) quia casus per se Papales sunt per accidens ob nimiam frequentiam, vel ob difficultatē adeundi Pontificem, &c. Episcopales, nisi fortassis post Trident. de hæresi aliter nos loqui oporteat, de quo in l. 5. tit. 7.

Circa hæc tamen adhuc advertendum primò: excommunicatum v. g. ab Episcopo, si absolutionem à Pontifice impeteret, tacitâ excommunicationis causâ, posse, & debere compelli, etiam per Ecclesiasticas censuras, ut cum literis veram causam continentibus ad Pontificem se conferat. Si certò constet Episcopo de commissa obreptione; vel si non constet de hoc certò, prudens tamen dubium sit, compelli posse, ad purgationem canonicam, coram se præstandam juxta c. ex parte s. h. t. ut ne videatur in tali absolutione defuisse voluntas absolventi, si causa excommunicationis lateat, aut ne prudenter de hoc defectu saltem dubitetur.

Advertendum secundò, per Delegatum à Papa excommunicatum, non posse absolvi ab Episcopo sine speciali mandato Sedis Apostolicæ, cum in tali causa Delegatus Pontificis sit superior Episcopo c. pastoralis 11. §. præterea h. t. & consequenter talem excommunicatum nemo absolvere mortuo delegato poterit, nisi Summus Pontifex, aut in officio prioris Delegati successor, si officio facta sit delegatio, exceptis casibus à jure expressis, in quibus per accidens etiam in-

ferioribus Papâ conceditur à Papalibus censuris absolvendi licentia.

Advertendum tertio, eos quibus ex officio in certis casibus absolvendi ab excommunicatione canonis conceditur de jure ordinatio licentia, posse eam etiam aliis committere, si ita expedire visum fuerit, uti statuitur in c. fin. h. t. junct. gloss. V. ex officio, quod idem de aliis censuris etiam dicendum est, cum eadem in omnibus sit ratio, quòd ordinario scilicet iudici delegandi potestas conveniat.

Advertendum quartò, ob favorem animarum, & ad tollendum vel impediendum peccatum concessum esse Episcopis, ut si qui ab ipsis ob certum crimen ad ordinariam illorum potestatem pertinens excommunicati per Delegatum non fuerint absoluti, qui tamen in causa tali ad tollendum, vel impediendum peccatum non procedit ulterius, prout ipsi mandatum fuerat, hos malitiosè forum suum declinantes, & in peccato suo perseverantes, ita contra absolutionem Delegati Pontificii excommunicet, prout statutum habetur in c. significavit s. h. t. si tamen ipsi delinquentes moniti à peccato desistere nolint.

§. VI.

De potestate dispensandi concessa Episcopis.

AD legem jurisdictionis Episcopalis pertinet quidem etiam dispensandi licentia, quæ tamen sæpius restricta est, & non omnem dispensationem complectitur. Sic primò non possunt Episcopi in lege Pontificis, vel canonica, aut consiliorum decretis, dispensare, nisi in casibus

bus à jure permiffis, prout colligitur ex *c. dilectus 15. de temp. ord. & ex c. penult. Et ut. de filiis Praeb. c.* cum inferior non habeat jurisdictionem supra legem superioris. Sunt autem à jure certi casus permiffi, in quibus in superiorum etiam constitutionibus, & decretis dispensare potest Episcopus, & praesertim tres enumerantur ab AA. Primò si in lege, aut canone simpliciter dicatur, posse in eis dispensari; debent enim haec verba simpliciter posita significare aliquid, non possunt autem significare, quòd Summus Pontifex aut Consilium in talibus legibus, vel decretis dispensare possit, quòd independenter ab his verbis, in lege positum fieri potest; ergò ut significant aliquid, de aliis etiam intelligi debent, quòd dispensare scilicet in talibus legibus possint etiam Episcopi. Secundò dispensare in legibus Superioris potest Episcopus ex causa magnae necessitatis, aut evidentis utilitatis prius verifimiliter incognitae, & quando periculum est in mora, aut casus sunt frequenter contingentes, prout fit in certis quibusdam, aut casibus ferè quotidianis; pro his enim omnibus semper recurrere ad Pontificem, foret difficillimum, unde merito, & rationabiliter praesumitur, concessa Episcopis licentia circa haec dispensandi. Tertiò denique dispensare contra canonem, aut legem Superioris potest Episcopus, ubi consuetudo legitime praescripta jurisdictionem ei dedit, sicut enim in aliis casibus jurisdictionem dare, & adimere potest consuetudo, ita potest etiam in hac dispensandi materia. Plures quidem alii etiam casus in specie referuntur, in quibus dispensare possunt Episcopi, illi tamen vel ex communibus principiis clari sunt, vel suis locis explicabuntur.

§. VII.

De collatione Sacrorum, praedicatione, impositione poenitentiarum, & concessione indulgentiarum.

AD legem jurisdictionis Episcopalis spectat etiam Sacramentorum omnium collatio, quae ab Episcopo sunt requirenda juxta *cit. cap. conquerente*, vel ab aliis Ecclesiarum non exemptarum suae diocesis curatis conferri possunt, ita ut cum his omnibus cumulativè respectu suorum dioecesanorum concurrat, cum sit ordinarius, & principalis pastor omnium. Et hinc potest etiam ex officio suo per se, vel per alium substitutum verbum divinum praedicare, eoque pascere populum sibi commissum, ut constat ex *c. inter cetera 15. h. t.* & quamvis communiter in sua lingua docere, si plures diversarum linguarum communitates habeat, ita ut possit Episcopum suffraganeum constituere, non tantum in Pontificalibus suum Vicarium respectu populi alterius linguae, sed etiam quoad potestatem jurisdictionis, quae juxta communionem ordinaria ac perpetua sit, subordinata tamen Episcopo, seu Dioecetano loci *c. quoniam 14. h. t.* potest etiam Episcopus ex officio suo publicas, tam solemnes, quam non solemnes poenitentias imponere juxta saepius *cit. c. conquerente junct. Gloss. V. poenitentias*, cum illius sit correctio, & poenitentia delinquentium, & potest etiam concedere indulgentias, non quidem plenarias, sed temporales, quas etiam exempti lucrari possunt, cum in favorabilibus, in eorum praedictum non debet explicari exemptio.

Z z

§. VIII.

§. VIII.

De visitatione Episcopi.

Pertinet etiam ad jurisdictionem Episcopi jus visitandi omnes Ecclesias, etiam Cathedralium, suæ diocesis, monasteria, beneficia curata, & non curata &c. nisi speciali privilegio exemptasint, & à propriis suis Prælati visitentur, quæ quidem visitatio singulis annis de jure antiquo. *c. conquerente. h. t.* vel ab Episcopo, vel ab alio, vicem Episcopi agente, deberet institui; juxta Trident. tamen *sess. 24. c. 3. de reform.* sufficit, si saltem singulis bienniis absolvatur, ut orthodoxa scilicet fides conservetur, & propagetur, mali mores corrigantur, & boni inducantur: neque ab hac visitatione exempta sunt ulla loca pia, aut Ecclesiæ, monasteriis etiam exemptis, unitæ, si tamen populus earum subditus sit Episcopo loci in spiritualibus (quia tales uniones fieri solent, salvo jure Episcopali) & juxta Trident. *sess. 7. c. 8. de reform.* etiam Ecclesiæ sæculares, quæ ex Privilegio se prætendunt exemptas à visitatione; quæ visitari debent ab Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, non obstante tali privilegio, ut ait Trident. adhiberi autem debent in visitatione monasteriorum regularium pauci illique idonei Ecclesiastici regulares, & non sæculares Clerici, aut laici prout statuitur in *c. ut juxta 17. h. t.* ubi Episcopo monasteria visitanti, non nisi duos trêse, suæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicos permittitur ad Capitulum adducere, ne in claustris, ut ait Pontifex, anfa detur dissolutionis alicujus.

§. IX.

De iis, quæ spectant ad officium Episcopi ex lege diocesana.

Constitit lex diocesana Episcopi primò in convocatione Synodi *c. quod super 9. de major. & obed. secundò spectat ad legem diocesanam exactio annua Synodatici, & Cathedralici, cujus nomine duos solidos, aut duos aureos à qualibet Ecclesiâ suæ diocesis petere potest Episcopus, etiam à capellis sive Parochiis, monasterio quamvis exempto incorporatis; nominatur autè hæc pensio Synodaticum, quia in Synodo, quot annis celebranda; Episcopo solvi debet; & Cathedralicum dicitur, quia ob dignitatem Cathedralis Episcopalis solvitur. Tertio numeratur etiam inter ea, quæ ad legem diocesanam spectant, quarta decimarum, ita ut quarta pars decimarum, quæ ad Ecclesias Parochiales Diocesis pertinent, detrahi debeat, & ob curam universalem Episcopo solvenda sit. Quo eodem modo etiam se habet quarta mortuorum quarta scilicet pars ex legatis seu funeralibus oblationibus, quæ factæ sunt Ecclesiis, aut aliis piis locis intra diocesim sitis, detrahenda, & Episcopo solvenda. Quarto ad legem diocesanam etiam pertinent procurationes, sive vicualia, Episcopo, dum visitat, ab Ecclesiis, quæ visitantur, solvenda, juxta cujusvis Ecclesiæ facultates moderanda, & in quantum ad unius diei victum sufficiunt. Et quinto denique ad legem diocesanam pertinet, etiam petitio moderati subsidii charitativi, quod ex causa rationabili & manifesta exigere potest à suæ diocesis*

Ecclesiis, & beneficiis, ita tamen, ut non nimium graventur Clerici beneficiati, &c. in plebique tamen his non tam attendendum, quid jura statuunt, sed quid consuetudo, quæ varia sæpius in variis diocesis vigeat, exigat.

§. X.

Quibus casibus Episcopus loci jurisdictionem habeat in regulares exemptos?

Habent quidem Prælati regulares præsertim exempti, in suos subditos regulares quasi Episcopalem potestatem, ita ut possint omnia circa eos exercere, quæ Episcopi possunt circa suos subditos, plurimi tamen casus enumerantur à Chochier *imp. 1. de jurisdictione ord. in exemptos quest. 17. Rodriguez in summa quest. Regul. To. 2. quest. 64. n. 11. Barbosa de officio alleg. 105. Pyring. hic. &c.* in quibus etiam contra regulares exemptos procedere possunt Episcopi saltem tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, qui apud citatos videri possunt.

§. XI.

De loco jurisdictionis Episcopi.

In quovis loco suæ diocesis ordinariam suam Ecclesiasticam jurisdictionem exercere posse Episcopum, sive contentiosa sit, sive voluntaria, constat ex *c. cum Episcopus 7. h. t. in 6.* nisi locus talis intra diocesis quidem situs sit, ab Episcopi tamen jurisdictione exemptus sit, ubi jurisdictionem saltem contentiosam exercere non potest, nisi in casibus quibusdam raris, petitâ saltem Prælati regularis licentiâ.

§. XII.

De potestate Capituli quoad intendendam cessationem à divinis.

Concessum hoc nonnunquam esse Capitulo ex *c. 2. & 8. h. t. in 6.* patet: videntur relata capitula circa hanc materiam rari usus.

SECTIO. IV.

De Officio, & Jurisdictione ordinaria Prælatorum, regularium, Episcopo inferiorum.

§. I.

De jurisdictione, & potestate Abbatum, & aliorum Prælatorum regularium in genere.

Prælati regulares non tantam potestatem quasi dominativam, & domesticam, sive œconomiam habent, radicatum in voluntate profitentium talem regulam, & se tradentium religioni cum promissione & obligatione secundum illam obediendi, & juxta imperium Prælati suos labores conferendi, prout ad religiosam disciplinam conveniens judicaverit Prælati, sed habent etiam potestatem jurisdictionis, spirituales scilicet, & Ecclesiasticam potestatem ligandi, & solvendi, censuras inferendi, puniendi &c. & quidem ordinariam, quam delegare possunt, & quasi Episcopalem, ita ut plurima circa suos subditos regulares possint, quæ possunt Episcopi circa suos subditos.

Z 3

§. II.

§. II.

De potestate excommunicandi, aliisque censuras seu poenas inferendi, & ab illis absolvendi; item reservandi peccata, ac dispensandi; & denique de administratione, qua competit Prælati regularibus.

Posse Prælatos regulares, cum jurisdictionem ordinariam in suos habeant, etiam in foro externo contumaces excommunicare, ab aliisque in eas censuras ferre, colligitur ex *c. cum in Ecclesiis 10. de majorit. & obed. & ex c. sicut 33. junct. gloss. V. sub excommunicatione de symonia.* Et quidem per sententiam generalem in eos latam, & per sententiam specialem, quamvis in alieno territorio existant, cum persona religiosa illis semper maneat obligata. Quod possint autem hos ipsos ab omnibus censuris etiam & peccatis, nisi specialiter à jure vel ab homine superioribus reservata sint, absolvere, aut alteri Sacerdoti absolutionem committere, colligitur ex *c. nuper 29. de sent. excom.* ita ut ab inferioribus Prælati excommunicatos absolvere etiam possint Superiores, si his subordinata sit jurisdicção inferioris, & tam causa, quam persona absolvenda sit sub jurisdicção Superioris.

Quod autem omnes religiosorum ordinum Prælati, non tantum supremi, & medii, sed etiam inferiores, conventuales, & locales, possint certa peccata gravia, & magis noxia suæ absolutioni reservare, ex *Trident. sess. 14. c. 7. & ex consuetud. Clement. 8. quæ incipit Futuram rei memoriam.* colligitur, ubi 12. casus nume-

rantur, qui in religionibus reservari possunt, & potestas insuper Prælati talibus datur, alios etiam casus, si putaverint expedire, reservandi, cum consensu tamen Generalis Capituli, si pro toto Ordine casus tales reservandi sunt, vel Provincialis Capituli, si Provinciam tantum reservatio talis complectitur, nisi specialia Ordinis privilegia circa hanc materiam specialia etiam sint; juxta quæ privilegia nisi communia jura, regulæ, aut consuetudines receptæ sufficient, possunt etiam hi Prælati cum suis subditis in observatione regulæ dispensare, in abstinentiis. v. g. & jejniis regularibus in operibus aliis ex præscripto regulæ faciendis, modò nihil circa substantiam trium vectorum religioni propriam immoretur. Ad Prælatos etiam regulares de jure comuni spectat libera congregationis suæ regularis administratio, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ita ut solus & independentè à suo Capitulo seu Conventu regulares suos corrigere, & solus ordinare possit, quæ ad divinum cultum & honorum temporalium dispensationem in monasterij utilitatem pertinent, prout sumitur ex *Can. nullam 9. caus. & quest. 2. & c. & necessitas*, ac obedientia religiosa docet, quæ sicuti uni subesse desiderat, ita omnem administrationem ei relinquit, nisi per consuetudinem receptam, aut peculiaria Ordinis statuta, aliter constitutum sit, aut præcavendum conventus præjudicium aliud jubeat, aut tota totius Ordinis administratio sit generis unum Generale.

§. III.

De Abbatissarum seu Præpositarum
regularium officio, & potestate.

Quamvis mulieres sint incapaces jurisdictionis Ecclesiasticæ & Spiritualis, propriè loquendo, ita ut quæ spectant ad claves Ecclesiæ sive ligandi per censuras v. g. & solvendi potestatem &c. illis non convenient, prout communissima sententia docet cum gloss. in c. dilecta 12. v. jurisdictionis de majori. & obed. quod tamen usus aliquis seu exercitium spiritualis jurisdictionis non tantùm in moniales suas, sed in Clericos etiam beneficiatos talis monasterii committi possit, ex relata glossa habetur ita ut non tantùm beneficia talibus Clericis conferre possint, sed eos etiam in possessionem inducere (quæ tamen in re subordinata illa tota potestas est alicui Prælato ejusdem Ordinis, & ab eo multum dependet, dominativa tamen seu gubernativa potestas tam temporalis, quàm spiritualis in suas moniales vi obedientiæ illi obstrictas, negari non potest, ita ut non tantùm spiritualia præcepta illis imponere possit, atque obligentur, sed etiam in virtute obedientiæ præcipere ea, quæ sunt ad animæ salutem spectantia, & regulæ conformia, cum vi suæ professionis ad hæc obligentur.

SECTIO V.

De officio & potestate Parochi.

§. I.

De Parochis, seu Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, earumque officio, & potestate in comuni.

Parochi dicuntur illi Sacerdotes aut Clerici, qui auctoritate Episcoporum Ecclesiis sunt præfati, ut certo populo, qui Parochiani dicuntur, divini verbi & Sacramentorum pabulum ad animarum bonum subministrant: nuncupantur hi Parochi etiam nonnunquam Rectores Ecclesiarum, à regenda Ecclesia, & populo illis commissio: curiones sive curati à cura animarum illis commendata; Plebani à plebe vel populo, cujus curam habent, & in c. omnis 12. de penit. & remis. vocatur Parochus etiam proprius Sacerdos, illius scilicet, cujus tanquam Parochiani proprii curam agere debet, jurisdictionem his competere ordinariam in foro interno ad ligandum & solvendum, officii ratio exigit, nulla tamen illis competit in foro externo, & hinc de jure comuni ordinario, secluso speciali privilegio aut consuetudine legitime introducta, non possunt Parochi suas Parochianos excommunicare, nec alias in illos censuras ferre, nec dispensare cum illis in legibus, votis aut juramentis, quamvis possit eum, cujus delictum publicum & notorium est & excommunicatio latæ sententiæ à jure statuta est, ab Ecclesiæ ingressu arcere.

§. II.

De celebratione Missæ, & administratione SS. Eucharistiæ.

Tenentur Parochi per se, vel per alium, saltem omnibus diebus festis, quibus popu-

Populus illis commissus Divinis interesse debet, Missam celebrare in propria Ecclesia, cui si Parochiani, non adfint ex contemptu proprii Parochi, male agunt officio Parochi & Parochiani mutuam obligationem inducente, nisi specialia privilegia majorem Parochianis faciant licentiam sine proprii Parochi contemptu, & quamvis cuius Sacerdoti vi ordinationis suae competat potestas SS. Eucharistiam ministrandi populo Christiano *Cas. pervenit 39. de Consec. dist. 2.* licite tamen eam exerceat, nisi vel ordinariam vel delegatam ad hoc Sacramentum administrandum jurisdictionem habeat, cum munus hoc pascendi SS. Eucharistia subditos maxime proprium sit Pastoribus, ita ut Eucharistia ad modum viatici aut Paschali tempore summenda necessario proprio à proprio Parocho summenda sit (nisi casus necessitatis aliud jubeat) & regulares, qui non sunt privilegiati ipso facto excommunicationem incurrant, si sine Parochorum speciali aut generali licentia subditis eorum. SS. Eucharistia tribuant, juxta *Clement. 1. de Privileg.*

§. III.

De Administratione Sacramenti Pœnitentiae, & aliorum Sacramentorum.

Quod suorum Parochianorum confessiones ubique locorum audire possit Parochus etiam extra propriam Parochiam, certum est, cum absolutio illa sit actus voluntariae jurisdictionis, quam Ordinarius ubique locorum exercere potest. Non potest tamen alienorum Parochianorum confessiones audire, etiam intra propriam Parochiam, sine consensu expresso vel tacito proprii eorum Parochi

(cum absolvi non possit ab eo ille, in quem nullam, nec ordinariam, nec delegatam jurisdictionem habet) qui consensus in multis casibus praesertim inter vicinos Parochos rectissime praesumitur. Peregrini tamen vagi, & iter facientes confiteri possunt Parocho loci, in quo pro tempore versantur. Vagi verò, qui nulli domicilium habent, confiteri possunt vel loci Parocho, ubi versantur pro eo tempore, vel cuius alii Sacerdoti pro confessionibus approbato, cum non sit major ratio pro illo, quam pro quovis alio. Neque possunt Parochi absolvere à peccatis aut censuris Summo Pontifici, aut Episcopo de jure reservatis (excepto articulo mortis, in quo cessat omnis reservatio) possunt tamen absolvere in foro poenitentiae ab ea excommunicatione & juris censuris, quae nec in jure, nec specialiter reservatae sunt, (quod enim Auctor canonis non reservavit, hoc concessisse videtur, *Nuper. 29. §. in 2. de sent. excom.*) & exprobabili sententia ab illa etiam casibus Papae reservatis absolvere possunt in foro conscientiae, qui per accedens Episcopales fiunt (ob difficilem v. g. ad Pontificem accessum, &c.) si nec ipse Episcopus aut illius Vicarius facile accedi possit, ut ne scilicet reservatio quae pro bono communi introducta est, contra bonum commune in periculum cedat animarum.

Speciat etiam ad officium Parochi suis parochianis administrare Sacramentum Baptismi (ita tamen ut cum illius licentia expressa, aut prudenter praesumpta etiam alienus Sacerdos, sive secularis ille sit, sive regularis, solemniter baptizare possit) & in gravi infirmitate con-

suis Parochianis extremam Unionem, ita ut graviter peccet, si sine justa causa aut eam neget, vel differat cum probabili periculo, ne infirmus interim decedat, ita ut regulares Sacerdotes ex communicationem etiam latae sententiae incurant, si sine licentia speciali proprii Sacerdotis eam extra casum necessitatis secularibus administrent: & denique Sacramento Matrimonij à Parochianis suis contrahendi assistere etiam debet proprius Parochus vel cum licentia hujus Sacerdos alius.

§. IV.

De predicatione Verbi DEI, & Doctrina Christiana per Parochos tradenda, & aliis functionibus & obligationibus Parochialibus.

Officium Parochi requirit, ut pascat, commissum populum, per se vel

per alios idoneos, si legitime ipse impeditus fuerit, Verbi Divini predicatione saltem singulis diebus Dominicis & Festis solemnibus, & doctrinae Christianae pabulo juventutem instruat, docendo Christianae fidei rudimenta, & morum componendorum doctrinam; Sunt & aliae obligationes & functiones Parochiales ad Parochorum curam pertinentes, uti sunt variae denuntiationes, annotationes, & libri ad hos pertinentes, processiones, benedictiones, &c. quibus se Capellani sine commissione speciali immiscere non possunt, cum illae ad legitimam pascendorum subditorum in spiritualibus curam pertineant, de qua Parochis sua incumbit reddenda ratio, non autem Capellani.

TITULUS XXXII.

DE OFFICIO JUDICIS.

EX dictis jam patet, Judicem eum dici, qui publicam auctoritate constitutus jus dicit populo, causas cognoscendo, judicando & sententiam ferendo, &c. Duplex esse illius officium Nobile aliud, quod per se subsistit, nulli actioni deserviens, & impendi potest, ac obtineri etiam, ubi nulla actio locum habet, nonnunquam & motu proprio judicis impenditur, nonnunquam ad supplicationem partis aut nobilis officij

Compend. Pirhinz.

implorationem: aliud autem dici mercenarium, quod actioni, scil. civili deservit, neque à Judice impertiri potest, nisi ad instantiam actoris, sive actione praecedente. Differt autem actio ab imploratione officij, quod illa supponat jus ex parte agentis, & debitum ex parte illius, contra quem actio intentatur; imploratio vero officij aequitate potissimum nitatur, non jure.

Aa

§. I. De